

addens, vel minuens &c. Ego Henricus Not. Pal. &c. Ego Petrus Not. S. P. &c.

- (1) Riccard. (2) Domino. (3) Belexii.
 (4) Groginaldo. (5) Exercitu, præter alia nonnulla perperam a Malacarne n. 246. exscripta.
 (6) Dies Sabbati erat 17. septembri, non 16., sed levia hæc Notariis facile condonanda.

Possessio Ecclesiæ Quargnenti capta ab Ugone Episcopo Aquensi.

124

M C C V.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCV., indiçt. VIII., die Dominicæ XI augusti (1) in choro Quadringenti Ecclesiæ Archipresbyter, & nomine ejusdem Ecclesiæ S. Dalmatii una cum parte fratrum suorum, scilicet Magistro Gargano, Jacobo Ruffino, Octavio Guala, Pizzono Rubaldo, Magistro Saliens, Verbano Presbytero Petro de Cuccaro, Othone de Cuccaro, Presbytero Manfredo de S. Martino, Mello de S. Martino, Alberto de S. Eusebio de Montaldo, Perruccio de Appiano, & Tebaldo de Appiano, recepit in osculo pacis D. Ugonem Ven. Dei gratia Episcopum Alexandrinum, & Aquensem in Dominum suum, & Episcopum tantum ad ejus reditus, & cum potestate quos, & quam D. Astensis Episcopus hucusque habuit in Ecclesia Quargnenti. Facta vero receptione ibi iste D. Ugo Alexandrinus, & Aquensis Episcopus per librum, quem in manu sua tenebat, investivit istum D. Ardicionem Archipresbyterum nomine Ecclesiæ Quargnenti de omni honore, ratione, consuetudine, libertate, & jurisdictione, quam, & quas prædicta Ecclesia habebat in omnibus locis sub Astensi Episcopo tam pro se, quam pro suis capellis eidem Ecclesiæ subjectis. His itaque peractis iste Archipresbyter pro ista Ecclesia Quargnenti, & Capellis, & aliis ad ipsam pertinentibus fecit fidelitatem ipso D. Ugoni Episcopo sibi, & Ecclesiæ Alexandrinæ. Iste vero D. Ugo Episcopus, & iste Archipresbyter cum Capitulo suo hanc taliter fieri rogaverunt. Interfuere testes rogati D. Opizo Ecclesiæ S. Michaelis administrator, D. Fridericus Mazzenalli de Episcopatu Placentino, & Mulaccius, & D. Nicolaus Vicedominus Aquensis subscripsi.

Ambrosius Notarius S. Palatii hanc cartam tradidi, & scripsi.

(1) Hic omissum exeunte, quo posito charta erit scripta die vigesima prima augusti: alioquin hæ notæ pugnantur erunt.

Restitutio trium partium medietatis oppidi Boschi facta a Terdonensibus marchioni Othoni.

125

M C C V I.

Anno Incarnationis Domini MCCVI., VII. die intrante februario, indictione IX. In Ecclesia majori in Credentia ad Campanam sonatam D. Turcus de Fontanella potestas Terdonæ consilio credentiæ reddidit D. Othoni marchioni de Bosco tres partes medietatis de Bosco pro pretio centum decem, & septem librarum, quas ipse Marchio reddidit communi Terdonæ nomine illius venditionis,

quam fecerat ipse Marchio communi Terdonæ, secundum quod continetur in instrumento ibidem facto per manum Magistri Oberti Notarii, qui dicitur de Casellis, quod instrumentum relegit de ducentis libris, quas tres partes ipse Marchio tenebat in feudum a communi civitatis Terdonæ, & nunc tenet. Unde D. Otho tradidit D. Turco potestati nomine communis Terdonæ, dominium illarum trium partium, quas tenebat in feudum a communi Terdonæ, & nunc in præsentiarum recepit in feudum illas tres partes, quas olim tenebat ante venditionem factam, secundum quod continetur in ista carta, promittendo iste Marchio isti Potestati nomine communis Terdonæ nulli alii venditas, alienatas, neque obligatas, nec de cetero illas tres partes, vel aliquod jus, quod commune civitatis Terdonæ in eis habeat, vendet, tradet, nec obligabit, neque in feudum dabit alicui personæ aliter, quam vassallus facere debeat, & restitutio, sive redditio istarum trium partium tali pacto, & tali lege facta est, quod commune civitatis Terdonæ retinet in se dominium, & jus in integrum sicuti olim habebat, & in feudum tantum isti Marchioni tres partes istius medietatis investivit faciendo homines de Bosco de istis partibus communi Terdonæ exercitum, iter, & fossata salvo omni jure, & omni ratione, quod, vel quam commune Terdonæ modo habet, vel in præterito habuit aliquo modo in isto Bosco, quod jus, & quas rationes commune Terdonæ retinet in se consensu, & voluntate illius Marchionis, & in credentia. Prædictus Marchio receptis istis partibus medietatis in feudum a communi Terdonæ juravit ad sancta Dei Evangelia fidelitatem communi Terdonæ in præsentia istius potestatis secundum morem, & ordinem fidelitatis, & juravit ad sancta Dei Evangelia, quod non vetabit castrum Boschi communi Terdonæ guarnitum, sive scarnitum. Actum in Terdona feliciter. Interfuere testes rogati D. Joannes Judeæ, Petrus Alexanus, Obertus Scopellus, Joannonus Malaparabola, Gurdotus Falavel, Azo Borrel, Thegius Cucolus, Opizo Rabaldi, Albertus Barata, Burgarus Judex, Guido de Viqueria, Ocilonus Grassus, Sigebaldus D. Buxonis, Magister Obertus de Casellis, Burgarus D. Vidonis, Obertus Suavis, Jacobus de Milano. Ego Ruffinus Notarius S. Palatii interfui, & hanc cartam rogatus scripsi.

Juramentum Episcopi Aquensis, & potestatum Alex. Aquar. Papiæ standi mandatis Uberti potestatis Mediolanensis de tregua, ac damnorum restitutione.

M C C V I.

126

Anno Nativitatis Domini MCCVI., indictione IX., die Martis VII. kal. maii, in territorio Bassignanæ supra ripam Tanari præsentia, & ordinatione D. Uberti Vicecomitis potestatis Mediolani. D. Ugo Alexandrinorum, & Aquensium Episcopus promisit D. Petro Nigro potestati Aquensi stipulanti nomine, & vice communis de Aquis, & omnium de eorum parte per se, & per totam suam partem attendere, & observare sub pœna quin-